In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti.

DIvino auxilio, qvô ſolo ad omnia conſilia, omnesqve actus feliciter progredimur, l. 2. C. de offic. Pręf. Pręt. Afric. Novell. 85. & 80. ordimur, aliqvot jam qvaterniones de Republica literarium impleturi ſulcis, objecto ſc. nobilisſimo nobilisſimę diſciplinę Politices, qvā Plato πασῶν ἐπιστατικὴν, Ariſtoteles κυριωτάτην καὶ μάλιστα ἀρχιτεκτονικὴν nullo veritatis dixit diſpendio, l 1. Eth. C. 1. Tot enim ac tantę ſunt, teſte etiam Bodino, Politices utilitates, ut omnia omnium imperia, cœtusqve jure ſociati ejus unius ope ſtare, eaqve ex omnibus diſciplinis ſola principibus, ſola claris viris, ſola regibus digna eſſe videatur, in Pręfat. librorum de Republ. Et hâc qvidem vice tribus conſtabit thematibus generalibus qvod de Republicâ molimur, cuilibet tamen themati qvęſtiones aliqvot qvadrantes per ἐρώτησιν & ὑποβολὴν ſubnectemus pro modulo.

THEMA PRIMUM.

REspublica partim ex ſocietate hominum, partim ex rerum communione ad ſocietatem